

A C T A
S A C T U M

J U L I I

Ex Latinis & Græcis , aliorumque gentium
Monumentis , servatâ primigeniâ veterum
Scriptorum phrasî ,

C O L L E C T A , D I G E S T A ,

Commentariisque & Observationibus

I L L U S T R A T A

A

C O N R A D O J A N N I N G O
J O A N N E B A P T . S O L L E R I O
J O A N N E P I N I O

E SOCIETATE JESU PRESBYTERIS THEOLOGIS.

T O M U S II

*Quo dies quartus , quintus , sextus , septimus ,
octavus & nonus continentur.*



A N T V E R P I A E ,
Apud JACOBUM DU MOULIN.
M D C C X X I .

A DE SS. ANATHOLIA VIRG.
ET AUDACE MM.

APUD VETEREM THORAM, SEU TORANUM
FLUVIUM, IN DIOECESI REATINA ITALIAE.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

J. B. S.

§ I. Prisca & diversa in Martyrologiis S. Anatholiae
memoria unde processerit.

SUB DE-
CIO.

B
Martyrolo-
giorum an-
tiquorum
discrepancie

E implexa S. Anatholiae, aut cum aliis sociis, aut cum solo Audace conjuncte, annuntiatione agere coepimus in nostris ad Umarium Observationibus, hac remissa controversiarum circa nomina, palaeographa & Acta solutione, quam dilucide expromere, hactenus non ita pervium fuit, quidquid scriptorum evolverim, qui ad eundem lapidem offendenterunt. In vetustissimis Kalendaris, nec de S. Anatholia sola, nec de socia, socio, sociis aut sociabus usquam sit mentio: Hieronymianorum variis textus, & hoc & sequenti die, rem prorsus involvunt, ut plane dubites, an illuc agatur de S. Anatholia hodierna Martyrologii Romani cum S. Audace, an de alia aliqua virginie synonyma, que ab ista, conditione, palestra, martyrii genere aliisque adjunctis diversa sit. Praesupponitur nodorum solutio pendet à recta intelligentia Martyrologiorum, in quibus vetustissime eius existant commemorationes, diversis verbis & diebus expressa, quas hic expendendas suscipimus, assignatis, quantum fieri poterit, fontibus, è quibus primitus emanarint, inde ad subnascentes difficultates processuri.

C
fis apposite
explicanda
videntur,

2 Textus Lucensium codicum apud Florentinum hoc die, saltem grammaticè vitosus est: Romæ, natalis virginum Floriani, Faustini, Anatholiae, Felicitatis, cum presbyteris vi. Forte prius legit Richenovicense: Romæ, Floriani, Faustini, Anatholii, Felicitatis. Ceterum Epternacense cum Lucensibus satis convenit, substituendo Florianæ & Faustinæ cum presbyteris septem: Corbeiensis codex, nunc mutulus, ad eundem sensum, saltem quod ad Anatholiam spectat, reducitur. Hic jam quastio, nomen indicata in hoc laterculo S. Anatholia, eadem sit, que cum Audace recolitur à tota serie Romani parvi, & Beda, seu potius Flori? Andianus Florentinum; Diversam hanc S. Virginem putarem ab Anatholia Thorense, cuius sub hac die meminit Romanum Martyrologium & cum eo Uuardus, Ado, Notkerus aliique Latinus, tum quod aliis sanctis virginibus sociatur, tum quod sequenti die in vetustiori nostro expressius recolitur. Nihil magnopere scrupulis video, quod tota jam dicta classis ad Thoram pertineat minime, nepte Roma passa: sit vero Anatholia hodierna, ipsissima illa, que die sequenti in Hieronymianis diserte in Sabinis collocatur, cum Victoria, ejus aut forore, aut saltem fida socia, & in suenda virginitate consorte, à Pao. & no parvo & Floro posita xxiii Decembris.

3 Utcumque varios textus conferas & expen- quod ex di-
dau, non videtur res tota commodius explanari versis fontia
posse, quam si dicatur, Hieronymianorum colle- huiusma-
ctorum, Altorum primam partem secutum, in con- jerint.

E
junctione duarum istarum virginum Anatholiae & Victoriae, Romanum parvum vero & Florum ad partem posteriorē respexit, dum Marsium, seu Marsinum, Audacem dictum, Anatholiae martyris socium fecerunt, servato die, illuc expresso vii Idus Julii, elogio longiori inde accepto, quod ex Floro ab Adone sumptum, in totam progeniem transiit, aut integre aut contralte, sic saltem ut manifeste patet, non ex alio fonte haustum, quam ex Actis, seu potius Actorum fragmento, quale edidit Surius, quodque in pluribus MSS. codicibus exstat, paulo purius, quanevis non multo melius. Admissa autem hac Anatholiarum distinctione, facile evanescunt varia difficultates, que meo quidem iudicio frustra excogitantur, ubi alia non desunt ex Actis ipsis explananda: qua cum in nonnullis differant; id primo flatuendum est, nec Romani parvi auctorem, nec Florum vidisse Acta majora, que celebri Aldelmus, seculi septimi scriptor, compendio retulit in libro de Lande Virginum, & Petrus de Natalibus lib. I, cap. 83; & lib. 6, cap. 73.

4 Ut res clarissima esse evolvat, describam hic Aldelmus Aldeimi versus ex editione Canisi tom. 5, pag. vetustiora 861, que soluta oratione existant tomo 2 Orthodoxographia pag. 1711. Sic canit poëta:
Tempore quo Decius triquadrum rexerat or-

F
bem,
Militibus Christi mortis discrimina patrans;

Exstigit in Roma binarum forte sororum

Fama, præcipuas pulsans rumoribus aures,

Quas nullus poterat tormentis vincere tortor.

Quamlibet infantes multaret cæde cruenta,

Ut vitæ auctorem reflexa mente negarent.

Altera de geminis felix Anatolia dicta;

Altera sed gestat verum Victoria nomen.

Has igitur sponsis claris natalibus ortis

Ad prolem generis fatagunt adjungere nuptas.

Sed mens virgineis ambarum torrida flammis,

Stuppas luxuriae combusit torre pudoris,

Spurcitas mundi contemnens corde caducas

5 Divitias spargunt, simul & patrimonia dantes,

Aurea purpureis calcant crepundia gemmis;

Cunctaque pauperibus mox ornamenta misellis,

Nil sibi servantes, vendunt pro stipe superna.

Nuntius è cælo pinnatus labitur alto,

Flameus aspectu, niveo candore coruscus,

Sceptrorum lumen dextra gestabat in alma,

P PPP 3 Am

dum forores
Anatholiam
& Victo-
riam con-
jinxerunt.

672 DE SS. ANATHOLIA VIRG. ET AUDACE MM.

AUCTORE
I.B.S.

Ambas alloquitur tali cum voce pueras :
Nunc procul à vestro pallorem pellite vultu ,
Pectora nec pavido quatius timor ilia pulset ,
Dum vobis thalamus paradisi sede locatur ,
In quo perpetui numquam consortia sponsi
Deficient penitus , sed gaudia longa manebunt ,
Si vos virginitas comes indefensa tuerit .
Tunc ambae servant castae consortia vitae ,
Angelus ut dederat Sanctis precepta pudoris ,
Usque fugam vite cum mors in limine latrat ,
Marcida depopulans vitali pectora flatu .
His igitur gestis ringuntur saeva procorum
Pectora , lethifero zeli macula veneno ,
Dum cernunt amplum sponsas expendere cen-
sum .

*utriusque
martyrium
describens.*

6 Sequitur martyrium S. Victoria , quo decurso , sic ad S. Anatholiam redit :
Sic quoque famosis felix Anatolia signis
Claruit , exilium saevi perpesta tyranni .
Consulis en sobolem constrictam nexibus arditis ,
Expertem sensus cum bruta mente vagando
Hostibus explosis restaurat pectus anhelum ,
Quorum ore rudi diversis pestibus ægros
Conglomerant pariter stipantes agmine San-
ctam :

B Ollis optatam reddebat Virgo salutem :
Nec non & morsum , qui torvam carmine gy-
psam

Irritat ut Sanctos crudelis belua lacertos ,
Dentibus horrendis & rictu rodat aperto ,
Extemplo curat , dirumpens vincia chelydri ,
Qui prius in spira morsum glomeravit inertem .
Idcirco cursim festinat credere Christo ,
Agnoscens propriam tanta virtute salutem .
Insuper & meritum cumulavit sanguinis ostro ,
Præmia sumpturas cum cœli cœtibus altmis .
Candida post sequitur cum binis martyra fertis
Integritas nitidam , necnon & passio rubram
Plumbabant pariter macta virtute coronam .

C 7 Haecen Aldelmus in nonnullis obseruatis lo-
cuthu , sic tamen ut satis offendat , se Alta ma-
jora pre oculis habuisse , ex quibus prestigiatoris
Marsi , seu Marfini nomen expressit in solita sua
oratione . Omnia facilissim intelliges , ubi hec con-
tuleris cum Altis ipsis infra illustrandis , ex Ms.
bibliotheca Cesarea . Qua ad S. Villoriam seorsim
spectant , danda ad diem , quo eam coli diximus ,
XXII Decembbris . Id etiam facile observabitur ,
Alta à Surio edita , ipsa esse , qua auctior Roma-
ni parvi & Florus secuti sunt , queque recte ace-
phala dixeris , solum exilium , prodigia & martyrium
narrantia , iis truncatis , que exiliis causam
exponebant . De utrinque partis pretio aut fide
hic non agitur , nec utrum Gelasio PP. II tribus
possint , ut in annotationibus ad Romanum Mart-
yrologium ex Petro Diacono memorat Baronius .
Hec èa solum causâ præmittuntur , ut lectors in-
tellegant , unde oriri potuerit diversitas annuntia-
tionum inter Hieronymiana & aliam Martyro-
gorum classem , quorum verba subiungemus , ubi
etiam Surianum fragmentum protulerimus , non ex
eius editione , sed ex Ms. codice S. Maximini Tre-
viris , cum aliis collato , ex cuius solo exordio per-
spicies , deesse partem aliquam priorem , cuius bac
sequela sit . En igitur dictum fragmentum :

*Plerique
Martyrologi-
asi sunt
fragmenta
Baronii ,*

in quo S. A.
natholia
energumen-
rum liberat ,
• al. Theo-
dori .

8 Sancta autem Anatholia cum esset in
jejunis & orationibus attenuata , & die ac
nocte in Scripturis sanctis intenta , & ita in
suo exultaret exilio , ut putaret se de Pa-
schæ testitivitate gaudere , contigit , ut filius
Diodori * , qui erat Consularis Piceni , no-
mine Annianus , à diabolo vexatus , clama-

ret , dicens : Domina Anatholia incendis me .
Interea Diodorus , homo paganissimus , dum
mitteret eum [per] lucos & templa * , venit
ubi erat locus , in vicino sanctæ Anatholie ,
& dirumpens catenas , quibus erat astractus ,
orantis Anatholie ante pedes apparuit , di-
cens : Tu es , qui flammis me tuarum ora-
tionum exuris . Interea sancta Anatholia ex-
sufflavit in eum , dicens : Exi diabole ab isto
homine . Et statim exiit ab eo . Qui cum
fanus ad suum patrem , in fascibus positum ,
advenisset , & agnovisset , quomodo salvatus
esset à sancta Anatholia ; veniens ad eam
cum uxore sua , & cum filiis , adorabat eam ,
offerens infinitas pecunias . Ex quibus san-
cta Anatholia nihil penitus accipiens , dixit :
Vade , & egenis Christianis atque egentibus
eroga : tu autem Christo crede cum tuis ,
& liberaberis .

D 9 Exiit autem opinio ejus per totam Pi-
ceni provinciam , & deferebantur ad eam
infirmi , quos medici desperabant , & luna-
tici , & dæmonii pleni : & omnes salvi re-
dibant , credentes in Christo . Cum hæc au-
tem agerentur , fecerunt suggestionem Decio
Imperatori , templorum Pontifices ; & misit
qui eam ibi interficerent : si sacrificare no-
luerit . Itaque veniens Festianus ad eam i
jussit eam inde ejici , & duci ad civitatem
Turensem . Quam induci jussit in secreta
rium suum , & diverso genere plagarum ve-
xari , deinde eculeo & lampadibus urgeri ,
& interrogabat , utrum thura incendere vellet
diis , & ire libera , quo vellet . Respondit :
Miser & infelix , si non recesseris à cultura
dæmonum , cum ipsis in perpetuo arsurus es
incendio . Tunc vocavit ad se Festianus Mar-
sus , & dixit ei : Facito istam includi in uno
cubiculo , & tu ei dimitte serpentes , qui
illam comedant : & donabo tibi multa : &
faciam te amicum meum .

E 10 Cui Marsus , nomine Audax , respon-
dit : Tu plures serpentes dicis : ego ei di-
mittam unum : & statim eam interficiet . Ig-
natur cum esset in cubiculo angusto conclu-
sa , & serpens ibi fuisset à Marso dimissus ;
tota nocte Virgo sancta in hymnis & psalmis
orationibusque durans , illum serpente acer-
rimum , in mansuetudinem convertit . Mane
autem facto Mercurium & Minervam invocaris
Marsus , cubiculum aperuit ; & ecce serpens
circinxit collum ejus , volens cum à canna * co-
medere . Sancta vero Anatholia misit ma-
pitem , & comprehendit eum , dicens :
In nomine Domini mei Jesu Christi exi hinc ,
& vade ad locum tuum . Statim cum omni
mansuetudine abscessit . Tunc audax Mar-
sus adoravit eam , dicens : Verus Christus
Deus est .

F 11 Audiens autem Festianus , Marsum Chri-
stum confidentem , vocavit eum ad se , &
dixit ei : Illa si magicis artibus se à serpente
eripuit , tu debuisti ad contumeliam deorum
Christum credere Deum esse ? Audax dixit :
Ego Christum verum Deum credo , quem
invocavit illa , & de guttere meo serpentem
acerrimum manibus suis eripuit . Cui Festia-
nus dixit : Miser dives es , & in auro &
in argento & in familia , & in capsellulis
tuis , & habes uxorem & filios , ut quid mori
non times , ut ista omnia derelinquas ? Au-
dax dixit : Ego scio . & probavi virtutem
Christi

A Christi nominis: & ideo mori jam non timeo. Non vides, à quali fera me invocatio nominis ejus eripuit? Tunc Festianus dixit: Relatio de te data, faciet te inter Christianos subire sententiam. Missus itaque in custodiam, dum iret relatio & venirent responsa. In hoc spatio, agente sancta Anatholia, Audax Christianus effectus est. Deinde pro Christi nomine capitalem sententiam exceptit.

Mors Anatholiae, ac corporis depositio.

B 12 Sancta autem Anatholia, gladio transverberata, [ut] per dextrum latus gladius missus in finistrum exiret: atque hoc exitu triumphantem Christus excipiens & virginem sacratissimam sibi & martyrem consecravit. Cives autem Turenles rapuerunt corpus sanctæ Virginis, &, ubi eis revelatum est, posuerunt: ubi benedicitur Dominus, ex eo nunc & in secula seculorum. Amen. Pericula est autem virgo sacratissima Anatholia die septimo Iduum Julianorum: deposita autem sexto Idus ejusdem. Corpus vero Audacis Marfi martyris, quoniam de Oriente fuerat, uxor & filii tulerunt, & navigaverunt: ferentes sua omnia, & gesta, quæ in isto libello scripta sunt beatæ Anatholiæ virginis, & in finem Audacis martyris. Amen.

§ II. Cultus SS. Anatholiæ & Audacis in Martyrologiis, palestra martyrii, reliquiae carumque veneratio.

Ex Beda seu Flori textu

C

** lego Marsum.*

J Am eo devenimus, ut ex premissis scitis perspicuum sit, cur in Hieronymianis Anatholia & Victoria in Sabinis conjugantur; cur vero in aliis Martyrologiis sola S. Anatholia cum S. Audace commemoretur; si pote cum antiqui Romani parvi & Beda seu Flora non alia Alta innotescunt prater fragmentum jam descriptum. Demus verba ipsa Romani parvi: In civitate Tyria, Anatholiæ & Audacis, cui annuntiationis respondet Wandelberti metrum, Audax septeno pariterque Anatholia claret. Sed rem clarissim expedit reliquorum Martyrologiorum fons, textus Beda seu Flori in nostra editione ante somnum 2. Martii: In civitate Tyræ, natale SS. Anatholiæ & Audacis, sub Decio Imperatore: quorum Anatholia, cum multos in Piceno infirmos, lunaticos & demoniacos curasset, ducta est, jubente Festiniano, ad civitatem Tyræ, & diversis plagarum generibus vexata; deinde cum serpente tota nocte inclusa, nil laesa est: quin & ipsum ministrum *, qui serpentem immiserat, nomine Audacem, manu à suo serpente devorandum eripuit, & ad Christi martyrium convertit. Nam ipse post hoc ob confessionem veritatis in custodiam datus, nec mora capitali sententia coronatus est. Ipsa quoque Virgo Christi gladio transverberata est, cum staret extensis manibus in oratione, ita ut per dextrum latus gladius missus, per finistrum exiret. Quæ passa est vii Idus Julii, sepulta autem manu à civibus Tyrensis. Audax vero, qui ab Oriente erat, ab uxore sua & filiis illò translatus est.

14 Fallor vehementer, si hic non appareat verum predicti fragmenti compendium, ex quo vel simili,

non ex Hieronymianis accepta videntur, que con-
dici Reg. Suecia, seu S. Columba Scotorum, in-
verso nonnulli ordine, attribuit Holsenus in A. sumptere
nimadversis ad Martyrologium Romanum, & Martyrologi
post eum Florentinus, ex ipso non satis recte con-
secularia deducens. En codicis, à nobis editi,
verba, non ultimo sed primo loco: In civitate
Tyre, natalis sanctorum Anatholiæ virginis
& Audacis Marfi, qui uteque capitali sen-
tentia coronati sunt. Postrema hac Actorum
textus conformia non sunt; et quæ preterea nota-
bile discrimen inter verba ab Holseno & Floren-
tinio relata, & sensum codicis nostris, in quo nulla
Imperatoris Decii mentio. Ad Bedum seu Flo-
rum vere referenda est annuntiatio codicis S. Cy-
riaci, à Baronio Landari, & Barberini accep-
tata, de quibus alibi satis diximus. Textrum Be-
de ferme ad apicem transumpxit Rabanus, (Ty-
re mutato in Tyro) transumpxit stem Ado,
(omissis nec mora capitali sententia corona-
tus est) atque ex hoc tota ejus progenies: ubi
advertis in nostra Beda editione legi ministrum
pro Marsum, qui in Rabano, Adone, Notkero,
imo & in aliis istis codicibus S. Cyriaci & Bar-
beriniano conplanter ponitur.

AUCTORE
J. B. S.
Martyrologi
rei quis,

15 Ex Usuardo processit hodie nostra Romani Mart-
yriologis commemorationis, ipso fonte nonnulli au-
torum, & mutata in aliquibus positione, quam
non satis exalte distinxit Baronius. Audiamus ut-
rusque textum. Sic habet Usuardus, Adonis
contractor: In civitate Tyro, passio sanctorum
Anatholiæ & Audacis sub Decio Imperatore:
quorum Anatholia, Christi virgo, diversis
plagarum generibus vexata, novissime gla-
dio transverberata est in oratione. Audax
quoque in custodiam datus, nec mora capi-
tali sententia coronatur. Hic non repetam, qua
in Observationibus dixi de varia expressione pa-
lestra martyrii: confer modo annuntiacionem Ro-
mans: In civitate Thora, apud lacum Veli-
num, passio sanctorum Anatoliæ & Audacis,
sub Decio Imperatore: quorum Anatolia,
Christi virgo, postquam plurimos per totam
Piceni provinciam, variis languoribus affectos
curasset, & in Christum credentes fecisset,
jubente Faustiniano judice, diversis poenarum
generibus vexata, cum ab immisso serpente
liberata, Audacem convertisset ad fidem, no-
vissime extensis manibus orans, gladio trans-
verberata est: Audax quoque in custodiam
datus, sine mora capitali sententia corona-
tur. Satis patet, unde augmentis materialiam de-
sumperit Baronius, cuius haec est annotatio:

16 Legebatur, inquit, in aliis Martyrolo-
giis, Tyri ad lacum Vulsinum: sed pro Thy-
ro seu Thurio vel Thyre, Thora; & pro
lacu Vulsono, Velinus est positus. In Mar-
tyrum Actis, Thurenis pro Thorenis, seu
Thorana mendosè legitur: vetera enim mo-
numenta ejus ecclesie, firmaque traditio po-
puli, hos, de quibus hic agitur, Martyres
ibi pasios esse, absque aliqua ambiguitate
testantur. Non ignoramus tamen, lacum
Vulsinum, Tirensem etie appellatum, cuius
memoria habetur in decreto Desiderii Regis
Longobardorum, quod ex tabulis Viterbiensib-
us descripsit Aldus Manutius in libro de
orthographia; sed nulla (ut acceperimus) in
eius loci oppidis, de his Martyribus existat
memoria; quæ vicens recensque in prædi-
cta Thorana ecclesia perseverat, quæ est (ut
acce-

Palestra
martyrii ad
Baronio &
aliis

AUCTORE
J. B. S.

accepi) in dioecesi Reatina. Hæc accepimus à R. D. Curtio Franco Canonico S. Petri in Vaticano, qui in his perquirendis plurimum laboravit. Porro Thora à Dionysio Halycarnassæo lib. I Tiora dicitur, quam à Reate Latinam viam versus, stadiis XL distare testatur. Corrupto vocabulo, i est mutata in h, ut loco Tioræ, Thora dicatur. Potuit Baronius alicubi reperisse lacum Vulfinum, ast ego me faveor, in nullo haec tenus Martyrologio talem positionem offendor.

non satis ac-
curatè ex-
plicata,

17 Neque vero palestra mutatio, à Baronio inducta satis subficit, ut videre est in dissertatione nostri Janningi de Sanctis Umbria, tomo I Julii prefixa, pag. 7, num. 31, ubi evincit, non ad lacum Velinum sitam fuisse antiquam Thoram seu Tioram, sed potius ad fluvium Velinum, stadiis XL, ex Halycarnassæ, supra Reate. Pro Velino fluvio stat etiam Augustinus Lubin, Martyrologii Romani illustrati tab. 5, pag. 162, vultusque esse ad dextram ejus seu borealem ripam: sed malim dicere, Thoram sitam fuisse ad vicinum fluvium Toranum seu Turanum, paulo infra Velinum, ut recte notavit Castellanus, ad hodiernum Romanii Martyrologii textum; ubi ad Baronii verba de Lach Velino; Potius, inquit, ad fluvium Toranum in Aprutio, ubi ad meridiem istius fluvii, ad ripam sinistram spectantur rudera veteris Thoræ, & ecclesiæ S. Anatolii, procul à lacubus, qui à Velino fluvio formantur, suntque in ducatu Spoletino prope Reate. Atque hac plane congruunt cum animadversione Holstenii, mox subjicienda, à qua nonnulli abudit Ferrarius in sua Topographia, sic legens: Theora, quæ & Thora, civitas olim Sabiniorum antiquissima, nunc oppidulum agri Reatini apud Velinum lacum, à Reate vix v mill. passuum, in via quæ Romanam dicit, recedens: ubi non satis mirari possum Leandrum Albertum, qui Thoram, Todi interpretatur. Sed neque Ferrarius bonus hic topographus aut geographus dicendus est.

ab Holstenio servatio ad hunc diem, ex quo sua accepisse videatur Castellanus. Sic igitur habet: Tora vel Tiora, sive Torana civitas, in ea Sabinorum

parte fuit, quæ Äquicolis Marfisque conjungitur & Torano fluvio rigatur. Nam etiam hoc tempore magna ejus vestigia visuntur ad lævam dicti fluminis ripam, in planicie amœna, cui ex adversa ripa Castelvecchio & Antuni castella in arduis scopulis sita imminent. In ejus ruinis etiam nunc ecclesia S. Anatolii exstans, & magno vicinorum populorum concurso frequentatur. Campi circumcirca ruderibus oppleti, magnæ civitatis indicium præbent: & in ipsa ecclesia præter columnas, aliaque antiquitatis vestigia, vetus inscriptio marmorea exstans, M. Aurelio Antonino Caracallæ posita. Civitas hæc Torana sex passuum millibus distat à Trebula Metusca, ubi sancta Victoria, Anatolii soror, passa fuit, de qua infra ad xxiiii Decembribus notavi. Ceterum corpus S. Anatolii ex dicta ecclesia Torana ad Sublacense monasterium translatum fuit, ubi etiam nunc exstans. Non videtur Martyrum nostrorum palestra accusatius & distinctius describi potuisse; ex ea vero Holstenii topographica delineatione planissime solutum est, quidquid difficultatis in meis ad Usuardum Observationibus huc discutiendum remiseram.

C

19 Neque multis me hic morabitur Tamayum, in suo Martyrologio Hispanico grandibus buccis Tamayi inmulta detonans in Baronium eosque omnes, qui p̄tis refutatione digne non sunt. D

in suo pseudochronico Dextri Bavariano, Luprando & hujusmodi gerris, sexcenties convulsis, operose rugando contendit. Jam tortes contra solem locatus est, tortes logi ejus retusi sunt, ut pigeat a eamdem arenam denno ingredi, aut lectores hujusmodi fabellis exagrandis, non sine radio distinere. Tamayum per se cum hoc commentario conferant, quos id genus examina deleant, aut certe consulant laudatam Janningi dissertationem de Sanctis Umbria, iis locis, ubi S. Brittium, de quo etiam hoc die agimus, eodem iure à Tamayo in Hispanias deportatum, priscis suis & veris possessoriis restituit. Sola Tamayi annuntiatio tam manifestis ineptiis scates, ut reliquis enarrandis superfunden dum existimem. En elogium, auctore suo dignum: Apud Thyar, urbem Ilvercaonum Tarraconensis Hispaniæ, S. Anatholii, clarissimæ feminæ, T. Aurelii Hispani sponsæ, sororis S. Victorii, ad Turbulam in Bassitanis passæ: quæ postquam sororis agonem agnoverit, in fidei confessionem robusta, nec judicum minas, nec præsidum poenas exhorruit; quin potius ob Christi nomen comprehensa, viriliter in ejus prædicatione persistens, ad palmam accessit, & gloriosum martyrii tropæum feliciter reportavit, converso Audace benefico.

20 Hisce obiter, sed merito rejectis, ducunt Quæ rationes postrema Holstenii verba ad translationem redi possunt liquiarum, que Altis nostris subiuncta est, & reliquie quæ forte viderit ipse: nam ibi describitur sacri corporis resessio facta seculo X, ejusdemque ad Sublacensem cœnobium translatio; de qua inferius agendum erit. Notat Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italia, exstare oppidum in Piceno & Umbriæ confinio, in finibus Camertum, non negligendum, cui nomen S. Anatolii est. Ibi corpus hujus Virginis, quæ ab incolis maxime colitur, in propria ecclesia conditum est. Ab his non deflectit Observatio Antonii Gallonii in historia Italica sanctorum Virginum Romanarum: ibi de S. Anatholia pag. 137, sic scribens: S. Virginis corpus quietit in loco agri Piceni (della Marca) qui à S. Anatholia nomen habet: digiti duo, mentum & reliquiae aliæ, hic Romæ in ecclesia S. Mariæ Majoris. Vix mihi dubium fuit, quæ aliquæ etiam reperiisse Masinianus in sua Bononia perlustrata; atque eccliam, ibi in templo S. Petri haberi dicitur S. Anatholii caput. De reliquiis, quæ ab Abbe Sublacensi Thorenses obtinuerunt, quaque in superstite apud ipsos ecclesia procul dubio etiam honorantur, plura brevi dicet translationis historia, de qua jam loqui ceperimus.

21 Per quem, quando & qua occasione predi- in ergo Pisa reliquia Romam & Bononiam pervenerint, ceno & Sublacensem indagare non intendo; curiosior quæstio laci affer- est, non minus difficulter, defectum noticiarum solu- vari.

venda, quo tempore corpus, seu ejus pars notabilis, è monasterio Sublacensi in Picenum pervenit, unde à S. Anatholia cognominatum fuerit oppidum seu locus, de quo Gallonius & Ferrarius; id afferentes ex monumentis, nescio quibus, quæ forte non continuo admittent Sublacenses, apud quos hanc dubie, id testante Holstenio, perseverare debet traditio, de affervato ibidem sacro corpore.

E

F

Actio-

A *Actiores quandoque id genus controversia non aliter dirimuntur, quam pacifica transactio, quā pars utraque possidere finitum, sicut possidet; quā nos Jacobilli arbitrio dirimenda relinqueretur, ut infra intelliges. Satis mira sunt, quae iste narrat tomo 2, pag. 18, rotunde afferens, S. Anatholiz corpus a sacerdotibus aliisque fidelibus sepulchrum quidem fuisse eodem loco, quo martyrum subierat, sed paulo post in Picenum translatum, ubi ipsa Sancta prima commorata fuerat, in id nempte oppidum, quod ab ea denominatum diximus. Ex quā transversum est, quod subdit, Leonem, abbatem Sublacensem, à Joanne PP. XI obtinuisse ambo sacra corpora, que in predicto S. Anatholiz oppido per annos 680 occultata fuerant. Hac cum historia translationis hancquam conveniunt, ubi non ex Piceno, sed ex primo sepultura loco Thorense Sublacum allata dicuntur.*

*De his plurā tradit de altera inventione, Sublacis facta anno 1095, Jacobillus, postquam annis 163 retellum non fuisse sacram sancte Anatholiz corpora, dubitarentque adeo nonnulli, an ibidem vere adhuc quiesceret sub altari principiū sacri Specūs, quo tirones monasterii properare solebant, religiosam professionem emissari, in cuius formula hac diserte exprimebantur: Ad honorem Dei omnipotentis & beatæ Mariæ Virginis, & beatissimi Patris nostri Benedicti, & beatæ Anatholiz virginis & martyris, cujus sacrum corpus in præsenti requiescit ecclesia. Abbas igitur ejus temporis, nomine Joannes, sacrum corpus integrum jam dicto loco summa cum omnium letitia inventum, paucis offib⁹ exceptis, que seorsim Sublacis populi venerationi exponebantur, & qua Roma honorari aiebat Gallonius. Os brachii magnum concessum fuit oppidanis ad S. Anatholiz in Piceno, quos in antidorum anno 1326, Abbat⁹ Sublacensi brachium S. Victoriz obtulisse, narrat Jacobillus, enīs demum arbitrio jam diximus, omnem, si qua supereat, de sacris reliquiis controversiam di-
tempum irs. Testatur itaque, repotitas esse sacras omnes exuvias in predicta ecclesia sacri Specūs, & corpus S. Audacis sub ara majori ecclesie S. Scholastica affervari, ut patnit in ultima recognitione facta mense Martio anni 1643. Hac ex Jacobillo paucis contracta sunt, que si a Bononiensibus admittantur, non video prorsus, quā ratio-
ne sancta hujus Anatholiz caput ad eos pervenerit.*

C *varia loca & tempora. S. Anatholiz nomine insignita ad-
ducuntur.*

*2.3 Ad utrinque Sancti cultus solennitatem mi-
rifice conferunt, quæ pluribus hinc inde colligit
laudatus Jacobillus, de variis locis, terris, seu
pagis sanctæ Anatholiz nomine in Umbria sua
& Tuscia gloriabantur. Precipua interim festivitas
perseverat in monasteriis Sublacensis S. Scholastica & sacri Specūs, pretiosa pignora hodiecum
custodientibus; in quibus sub illiusmodi ritu hoc
de peraguntur omnia cum Orlava. Accedit, quod
& alia ecclesia, in eodem Sublacensi territorio S.
Anatholiz dicata sit, in qua ritu eodem, di-
camus pia emulazione, veneratio quotannis insti-
tuuntur. Par est celebritas in sape dicto S. Anatholiz oppido agri Piceni, quin & tota diaœcesi Camerinenſi. Adde pagum alium seu castrum diaœcesis Spoletina, Anatholiz nomine etiam nuncupatum, cum ecclesia parœciali, eidem Sancta sacra:
nde in tota ea diaœcesi fit Officium sub ritu se-
miduplici: quibus alia minoris momenti loca, S.
Anatholiz nomine insignita, adjungit Jacobillus,
qua apud ipsum videri possunt. An in horum
singulis sacra Sanctorum lipsana honorentur, ex-*

*ploratum non habeo: ex his, opinor, patet, ad AUCTORE
reliquiarum notitiam nihil desiderari. Nam reliqua,
ad S. Anatholiz ejusque socii passionem spectan-
tia, expendenda sunt. L. B. S.*

§ III. Sanctorum ætas, eorumque passionis & translationis historia.

A *Tatis & martyrii epocham, non aliunde e Tempore duxere historici & Martyrologi, quam ex Decisi corona Aetis, five longioribus, ut nostra sunt, five mu-
nitionibus, ut ea Surini edidit, in quibus passim de-
notantur tempora Imperatoris Decii, mortissimi Christianorum persecutoris. Baronius ad annum 253
num. 29, cum aliis non paucis scriptoribus san-
ctorum Anatholiz & Audacis passionem non
solum predictis Decii temporibus innecit, sed de-
terminat signat annum 253, quo ex probatissi-
ma & receptissima hodie chronologia superstes esse
non poterat Decius, jam rato ante biennio, contra
Gothos pugnans cum filio interemptus, post impe-
rii menses XXX aut annos circiter tres; ut proin-
de, si tempore Decii Martyres coronati sunt, id
ut summum differri possit ad annum Christi 251.
Nota est Baronii discrepantia à veris Chronologis
calculis, qui ad tempora usque Decii, toto biennio
defleunt. Fatebor ingenuè, non iis monumen-
tis nos predictos esse, ut hec accuratius expenda-
mus, quandoquidem Aetia id solum innuant, sub
Decio Imperatore aut passus fuisse sanctas foro-
ris Anatholiam & Victoriam, aut saltem ejus
iussu, procorum seu sponsorum suorum artibus in
exilium abactas; si tamen & hac satis tuto ad-
mitti possint: nam Aetiorum historia in tali an-
terioritatis gradu posita non videtur, ut ex ejus fi-
de occurrentes controversias certo liceat definire. In-
terim nihil magnopere obest, quo minus ad Decii
tempora revocetur saltem sanctorum Anatholiz
& Audacis martyrium.*

*2.5 Ceterum, ut jam dicebam, non minus am-
bigua est talis epocha, quam sint in pluribus A-
etia ipsa, veterum Aetiorum sinceritatem tam pa-
rum redolentia, ut nec de nomine Sanctorum istos
appellaverit Ruminans. Id extra controversiam
panimus, verius esse, & seculo saltem septimo
existisse, ut probant evidenter, qua ex Aldelmo
dedimus paragrapho I; verius nec ea atas ab
omni interpolationis & liberioris amplificationis no-
ta eximit narrationem tot visionibus, prodigiis
& miraculis reservam, ut mihi saltem nequaquam
sit verosimile, eam Pelagio PP. II, qui anno 590
e vita migravit, adscribi posse, quod in annos-
tationibus ex Petro Diacono insinuasse Baronium su-
pra monimus. Minus etiam credibile, quod ei-
dem Petro Diacono tribuit Jacobillus, scripta fuisse
Aetia à Julio PP. I, vix toto seculo martyrio
posteriori. Negandum interim non est, aut Pela-
gianum ipsum, adhuc privatum, aut alium ejus
temporis scriptorem Aetia aliqua Sanctorum nostro-
rum colligere posuisse: ast ea ratione ab ipso ex-
ornata fuisse, credibile non est. Non unius San-
ctorum Martyrum passionis ea fuit, ut pri-
mum candide, vere & simpliciter concinnata;
oratores repererit, quibus nihil placuit, nisi quod
mirum & stupendum videretur. Sed hic locos hu-
ijsmodi communis congerere, nil opus est; Aetia
ipsa, ut jacent, nemo facile admiserit, nepora
qua satis ostendunt, amplificationes plurimas pri-
migenia simplicitati accessisse; ut rubus angendis
facile.*

AUCTORE

J. B. S.

Criticis
plurima
duplicent,facile supersedere potuerit landatus supra non se-
mel Jacobillus.

26 Tillemonio in notis suis ad tomum 3, pag.
703 plura displicant, ea presertim que de An-
miano & serpente memorantur; displicant visiones
angelorum, & solita in apocryphus Actis clausula
de depositione corporis per revelationem, ubi
benedicatur Dominus ex eo nunc & in se-
cula seculorum. Alter hypercriticus omnia fer-
me respuit, sed eos non moratur: medio sturi-
tuius. Actis fortasse primigeniss adscribi potest
terum gestarum substantia, ornatus hinc iude ni-
misis interpolatoribus. Dixi superius, non nisi
fragmentum à Surio vulgatum esse, à nobis su-
pra exhibitum, cui deest tota pars prior, seu,
ut nos divisiimus, totum circiter caput primum,
satis plenam cum eo fragmento historiam consti-
tuens, quam ex manu scripto bibliotheca Cesarea
descripsit nosler Franciscus Baertius, cuius, non
ita pridem defuncti, elogium huic tomo premittitur.
Notavit ipse, Cesareum Ms. pluribus men-
dis depravatum esse, quorum duriora corrigit pos-
sent, ut pleraque à nobis prima puritati refuta-
ta sunt. Frequentiores dialogi, ultra virginum
caput quandoque dispositi, satis probant, decou-
runt ubique ad amissum servatum non esse; ast
singula ad rigidius examen revocare, opera preium
non duximus. Nam satis patet, qua nostra sit de
productis Actis opinio.

27 Non pratermisserim observare, quod ex
qua difficil fragmentis Suriani & Aldemiani carminis, cum
timè salvavi Actis nostris collatione, haud obscurè colligitur,
possunt.

una paulo priorem fontem pre oculi-
fragmentum ipsum, supra descri-
to simplicius esse, quam sit exem-
, in quo pleraque verbosius adornari-
cari igitur licet, Actorum nostro-
ultimum, quem non immixto di-
cti monachum fuisse, translationis
historiam compoisse seculo XII aut serius,
qui antiquiorem Legendam pre oculis habens,
eam, ut per ea secula frequens fuit, pro suo in-
genio & libiti ampliaverit, clausulam adjungens,
quam infra dicemus, eò adinventam, ut non solum
S. Anatholiz, sed etiam S. Audacis corpus reper-
tum affereret, & utrumque ad Sublacenses trans-
latum; contra quam difertissime in Actis memo-
ratur, S. Audacis corpus, ab uxore & filiis alio deportatum esse. Ne in re obscura dimicis fru-
stra versemur, non male quis existimaverit, scri-
ptoris isti Acta, si non plane sincera & genuina,
saltet minus extensa praluxisse, quorum fragmen-
tum nobis superest, queque utinam pro miraque
parte paulo integriora ad nos pervenissent. Reftas
paucis expendenda translationis historia, qua ter-
tium hic caput constituit.

28 Ut nusquam in ipsis Actis vestigium occur-
rit, unde cum aliqua saltet vero similitudine con-
ficiat, à quo, & quo ferme tempore Acta prima
collecta fuerint, sic etiam indicia, per qua
in translationis & amplificationis auctorem certo
deveniamus. Nam suspicionem insinuavi, quod
monachus Sublacensis fuerit. Certe se talem ostendit,
ut prodigia etiam in translationis sua narra-
tione mirum in modum placuerint: mallem ego,
tantae cura fuisse, rem omnem characteribus suis
chronologicis paulo accuratius distinguere. Seriem
Abbatum Sublacensium non repersi hactenus; scri-
ptor hic Leonem notat, factorum corporum re-
fessorum; qui si vere canobium moderatus est tem-
pore Benedicti VII PP., cum hic sedem Romanam
tenuerit ab anno 975 ad 984, necesse est abba-

tem istum Leonem in ea tempora incidere, eam
quibus etiam componendus est Anastasius Episcopus
Reatinus, ut qui transactionem, inter Thorense
& Abbatem initam, suo calculo comprobarit. In-
venit Ughellus Anastasium aliquem, Reatinum E-
piscopum, in appendice tomij 5, col. 1527, pro
anno 948, cuius atav non difficeret protrahere-
tur ad annum 975, nisi ibidem successor Anastas-
io daretur Hildebaldus, cuius subscriptio habeat-
ur in documento aliquo anni 975, ut proinde
nonnullum in horum nominum combinatione erro-
rem agnoscere oporteat, & consequenter colligere,
auctorem non tam vicinum fuisse ipsi rei gesta, quam
satis miri decomposit.

29 Venatio a Leone abate Sublacensi ordinata in pluribus
ad alienum territorium Thorense, Sublaco trigin-
ta ut minimum milliaribus Italicis diffitum, quem
etiam censu-
rā digram.
prima fronte non offendat, saltem qui locorum di-
stantias dimetiri noverit, & termini congruentias
examinare? Quid? quod nihil prorsus juris ha-
buisse supponatur Abbas, quo sacris illis pignori-
bus ita Thorense privares, ut ipsi postmodum ad
obtinendam eorum partem aliquam aliquantulum
juris in suis regionibus tribuere compulsi fue-
rint, scriptis instrumentis, locum, ubi sancta
quieverant corpora, cum omnibus suis per-
tinentiis monasterio Sublacensi donantes; in quibus,
adeo crude expositis, qua appareat equitatis spe-
cies, quero, qui satis demonstrare possit. Somnum
Abbas & que eum subsecuta sunt, absque nulla
necessitate inducta videntur: nec majori auctorita-
te nititur equus ille indomitus, qui portato sa-
cro onere, non solum ferociam deposuerit, sed con-
tinuo extinxerit. Neque convenit tota ea histo-
ria cum vulgarissimis Surii Actis, in quibus ex-
pressissime dicitur, quod corpus Audacis Marti-
martyris, quoniam de Oriente fuerat, uxor
& filii tulerint, & navigarint; ne id saltem
certo conjicias, corpora sanctorum Anatholiz &
Audacis, eodem loco non fuisse sepulta, atque
adeo clausulam vita ultimam, in Actis nostris
additissimam esse, eò studiose inventam, ne viam
sternat ad sepe dictam translationis historiam. Habe
modo Acta ipsa prout à Baertio descripta sunt.

F

A C T A

Ex codice Ms. bibliothecæ Ca-
sareæ, signato num. 724
supra; infra 185.

C A P U T I.

S. Anatholia, nuptias aversata,
virginitatem colens, exilio
multatur.

T Emporibus Decii Cæsaris erant Romæ *Anatholia*
sacratißimæ virgines Christi Victoria & *metu perfe-
ctionis*,
Anatholia, que ab ipsis fuerant cunabulis
Christianæ; sed muliebri metuentes infirmi-
tate & se in suis domibus continentibus, fa-
mulatum Christo clandestinum exhibebant.
melius ducentes, occulte religioni & Dei pre-
ceptis insistere, prout posse suppeteret,
quam fidem sanctam, palam se ostentando.

A relinquere , & Christi nomen si confiterentur palam , suppliciis coacte negare . Audierant namque à fæcerotibus Christi , ipsum , cum ab Herode quæreretur occidens , in Ægyptum fugisse , suisque discipulis præcepisse , dicentes ; Cum persecuti vos fuerint in una civitate , fugite in aliam . Erant autem Eugenius & Aurelius Titus , clarissimi ac potentissimi viri , qui matronarum nobilium intercessu , illas sibi conjugali jure fatigabant adjungere . Illæ vero nondum in Christi amore adeo perfectæ , ut martyrii se crederent posse per supplicia palmam accipere , ut fidei sanctæ maneret in eis intemperata religio , diuturnis interpellant precibus , hujusmodi rei pollicentur effectum .

*adnuptias
petita, sed
in visione
virginitatis
dotes edicta,*

B Instante autem Aurelio , ut promissum rei citius compleretur , Anatholia promissionibus suis spem juvenis differebat . Orabat interim incessanter Christi Virgo Dominum suum , cui actualiter serviebat , ut se de manibus eriperet inimici , ne scilicet sponsum duceret gentilitatis erroribus irretitum & ne ipsam forsitan sanctum nomen Domini negare , sponso cogente , contingenteret . Interea quæcumque rei familiaris habuit in auro & in argento seu lapidibus & vestibus pretiosis , clandestina distributione in Christi pauperes erogavit . Nocte autem infœcta , postquam rerum omnium , quas domi habuit , partem pauperibus erogaverat , dormienti ei angelus b apparuit , diadema clarissimum gestans in capite atque auratis vestibus adoratus , cuius vultus solis semulabatur fulgorem , qui ad eam toto conversus lumine , denique eam intentis intuitus oculis , his virginitatem sermonibus laudare cœpit : O sancta , ô beata virginitas ! O nupta perennis sponsi , corruptionis & doloris prorsus ignari , expers mortis , propinquâ Deo , qui perennis est vita ! Hic est thesaurus auro plenus & gravis : hunc nemo furum attingit : hunc nulla tinea demolitur , nulla erufo consumit . Magna , ô Anatholia , gloriâ polles , magnis abundans divitiis , has solicita mente custodi , pro his vigila , has conserva , ne frauderis gloriâ , quam tibi Dominus præparavit in cælis .

*ea contrabeci
te resuas;*

C Hac visione atque allocutione angelica Anatholia , virgo Christi , adeo confortata est & in Christi amore perfecta , ut pro virginitate mallet occidi , quam vinci . Omnibus igitur , ut prædictimus , rei familiaris opibus distributis , cum nuptiarum dies instaret , ægritudinem simulavit : instabat Aurelius , virginis animum nunc minis terrere , nunc demulcere blanditiis . Illa furenti viro languorem opponere ; nec posse maritali jugo gravari , quam sola satis superque infirmitas redideret imbecillam . Cum autem sponsus , amoris impatiens , modis omnibus omniq[ue] nisu votum suum complere satageret , illa ægritudinis causâ negaret , non posse onus maritalē suscipere , quod christiana esset , sponsu delata est . Nolens autem Titus sponsam , quod hujus esset fidei , prodere ; ne , ut ceteri , gravibus poenis , & mortis , se desiderii sui impote , demum exterminio plesteretur , blandimentis eam à proposito conatur avertere & eisdem modis , ut à fide discedat , se sperat efficere , quibus , ut sui matrimonii copulam promisisset , efficerat .

4 Eugenium itaque amicum suum adiit , EX MS. eumque , ut sibi subveniret , precationibus *adhibitis à pro eo Aurelio per Eugenium amba cum* expolcit . Qui Eugenius respondit ; Mirari non sufficio , cur preceris , quem tibi patratum in omnibus obedire , mortem quoque , si expedit , subire , deorum iram , indignationem principum sustinere quibuscumque periculis , dum saluti modo tuæ consuleret , expertus es subjacere . Siquid igitur consili , siquid auxilii in hac re perpendis à me tibi posse contribui , ut servo fidissimo atque obedientissimo imperato , amicum me in periculis experiere veracem . Tunc Titus : Age , inquit , oro , ô amice , sponsam tuam Victoria ad eam velociter deftinato , ut marinorum intentionibus & blanditiis perflueat , quatenus matrimonio meo se jungere non recuset . Mox Eugenius sponsæ suæ Victoriae causas indicat : rogat , ut Aurelii sponsam Anatholiam , videlicet collactaneam suam , quibus potest modis , ad Aurelii petitionem inflectat .

E 5 Ad sponsi preces , nihil morata Victoria , Anatholiam adiit ; cui & dixit c : Caritatis tuæ , foror dulcissima , ut te adirem me compulit magnitudo . Cum enim omnia te consulte & prudenter , ut ingenuitatem tuam decebat , egisse meminerim ; unum id , quo animo , quo consilio , ut sponsum respicias , machineris , ignoro . Audi ergo , Anatholia foror , consilium meum : crede suasionibus meis : noli in semel cœpta pertinacia permanere : noli quidquid mente conceperis , operibus consummare , ne tuis sis folis contenta consiliis : noli te ultro morti ingenerere . Si Christus ipse præcepit ad tempus persequentibus cedere , cur persecutiones ipsa desideras , ipsa quæris ? Considera , obsecro , foror carissima , temporis hujus angustias , nostrorum ærumnas , fugas , latibula , supplicia , carceres & exilia , meisque consensum præbe sermonibus . Titum Aurelium , virum illustrem , regiâ ortum familiâ , regia fultum ope , cui rogata consensum ipsa conjugii promisi , suadeo , ut nolis promisso matrimonio defraudare . Cumque loquendi finem Victoria fecisset , Anatholia respondit : Satis doctè prudenterque , foror , & Christiane mihi , ut virum ducam , ut mei corruptores accipiam , persuadere conata es . Nunc itaque patienter verbis meis aures accommoda , ut quæ æquè loquar in arcane , recondas mentis arcana .

6 Nominis tuo respondeo , de nominis tui *sed fructu* vocabulo te exhortor : commendo , ut , quod diceris , esse festines , ut diabolum vincas , ut proberis vera Victoria . Deus , omnipotens pater , omnia per Verbum suum in principio faciens , hominem quoque , rationalem videlicet creaturam , ceteris animantibus jam creatis ex limo terræ formavit , eique , ut ceteris omnibus irrationalibus creaturis præcesset , mandavit . Quem cum suis in locis eundem disposuisset , solum in paradiſo constituit , eique Eam conjugem sociavit postmodum . Cumque super terram hi soli duo conviverent & omnem mundum , quem pro hominibus creaverat Deus , hominibus vellet impleri , præcepit eis , crescere & multiplicare , procreare filios & implere terram . Postquam autem Dominus omnipotens Jesus Christus , Verbum Patris , per quod facta sunt

EX MS.

omnia, de cælo dignatus est ad terras pro salute nostra descendere, & de immaculata Virginis Marie visceribus assumere carnem nostram, non Deus, quod erat desinens, sed, quod non erat, homo esse incipiens; & virgo ipse permanxit & virgines permanentes ceteris plus amavit.

Laus virginitatis ab Anatholia asserta;

7 Ideo enim legitur in Euangeliis, Joannem præ ceteris discipulis dilexisse, quem suo etiam pectori in cœna permisit incumbere, & ut supra repetam, ante Euangeliū Prophetas & Patriarchas cum omnes legantur placuisse Deo, solum Eliam, qui corpore virgo permanxit, curru igneo rapuit, folius hujus orationibus cælum clausit & aperuit. Si igitur antequam Christus nascetur ex Virgine, tantæ ante Deum gloriæ virginitas fuit, ut eum, qui virgo permanserat, igneo rapuerit curru, & matrem sibi virginem Christus elegerit; quantam nunc gloriam habere credenda est, cum ipsius cæli & Angelorum & hominum Virgo Maria conficit regina. In illa quidem virginalis gloria est super Angelos exaltata; in carne vero Christi ad Patris dexteram collocata. Cum hæc Anatholia dixisset; in hac Victoria voces erupit: Numquid ergo sole locum in cælis virgines possidebitis. Nuptæ peribunt & viduæ? Nulla eis portio danda est cælestium gaudiorum? Anatholia respondit: Nuptis quidem & viduis suis est locus in cælo, sua est eis palma, lux, gaudium & corona; sed illis omnibus gloria præstantior concedetur, quæ, sequentes Christum, virgines permanserint. Virgines Verbo ipsius Patris fruuntur. Sponsæ virgines Patris vultum propinquus contemplantur.

8 Hæc autem, quæ affero, mira tibi & fidem excellere videntur; sed hoc unde noverim, audies, si requiris. Illa se id summe velle, id dudum expectasse testatur. Tunc Anatholia, postquam quodcumque mihi in auro & argento in vestibus erat & ornamenti vendidi, eorumque pretium in pauperum subsidium expendi, nocte infœcta, dormienti mihi juvenis apparuit, aureo diadema coronatus, ut sol multum splendidus totum corpus auratis gemmatisque vestibus cooperatus; qui ad me totus conversus lumine, meque diu intentis oculis contemplatus, virginitatem cœpit sponsam regis appellare, perpetui doloris penitus atque corruptionis ignoram. Lucem illam vocabat, cui nullæ tenebræ prævalerent; gloriam, quam nulla mutuaret confusio, nulla passio deturparet; exsoritem mortis, confortem vitæ; quæ, inquit, veræ & æternæ vitæ, quæ Deus est, proxima est in cælis. His auditis, cum evigilarem, qui ad me loquebatur, evanuit; unde tristis effecta, & humi prostrata, continuo orabam Dominum, ut ablata visio mihi redderetur. Rursus juvenis mihi præsto adfuit & veris me cœpit vocibus alloqui, & virginitatem veri Regis purpuram atque coronæ regi dicere margaritam, æternum thesaurum, auro abundantem, & gemmis, quem furum fraus nulla subripiat, nulla vestitas, nulla ærugo consumat. Has mihi opes, hanc mihi gloriam adesse dicebat, quæ numquam nolenti possent auferri. Magnam mihi virginitatis à Deo paratam gloriam promittebat, ut hanc intentius & solicitus

custodirem. Idem sœpius repetens, admonebat; Tantus igitur ex illo tempore virginitatis in me amor incanduit, ut malim morte qualibet interire, quam virginitatis commutare propositum.

D

9 Postquam Anatholia locutioni suæ finem dedit. Victoria ad pedes ejus precebat, ut sibi ejusdem juvenis visio præstaretur. Tunc Anatholia, prostrans se, orabat Dominum, quatenus eamdem utrifice ostenderet visionem, & cum pariter orationem fudiissent; ecce Angelus Domini in eodem habitu apparuit eis. Quem cum ambæ vidissent, nimio timore perterritæ, ceciderunt in facies suas, & obstupefactæ pavore nimio obmutuerunt. Angelus autem Domini confortavit eas, dicens: Nolite timere, dilectæ Domini: corona enim vobis à Deo parata est in cælis, si virginies permanseritis. Victoria igitur læta, timore deposito, Angelum percunctatur, quæ sit in cælis gloria virginum, quæ conjugatarum aut viduarum à virginibus differentia. Quæ omnia, ut quæfierat, seriatim ei Angelus explicavit. Mox Victoria in Christi amore verbis Angelicis roborata, domum rediit.

Victoria de bona pauperibus, & sponsis calbis amore exaractis

10 Quidquid in auro & argento in pretiosis repositum vestibus, Anatholian imitata, pauperibus dispertivit, ut pauperis illius sponsa mereretur effici, qui cum dives esset, secundum Apostolum pauper factus est, ut nos, qui pauperes eramus, divitiarum suarum faceret affuentes. Hoc Eugenius cum sensisset, rem cito omnem aperuit, & quid in his facto opus sit, nimio sermone pertractavit. Si eas proderent, sciebant profecto quoniam eis mortis sententia plexis, earum prædia fiscus occuparet; ipsi cum sponsis ipsarum quoque matrimonii privarentur. Consilium itaque invenerunt, quo & illæ, ni ipsis consentirent, suppliciis affectæ, mortis demum exterminio plecterentur, & ipsi earum non amitterent facultates d. Ex condicto igitur Cæsarem adeunt; sponsas suas ad rura deducendi [veniam] flagitabant: quo concessso, alacres effecti, Eugenius sponsam suam Victoriam in Tribulanum territorium ad possessionem suam, Titus Aurelius in Thorense urbis suburbana deducunt, easque in locis incultis & squalidis ac desertis præcipiunt morari, servis suis mandantes, ut eas fame diversisque injuriis cruciarent, donec ad suos libitus earum animos inclinarent. Igitur Anatholia virgo pro Christi amore in exilio constituta, parentum, amicorum omniumque hominum solatio carens, patriæ domus, prædiorum & omnium, quæ sibi materno seu paterno jure contigerant, extorris effecta, infelicitatem humanam divino amoris solatio & spe gaudiorum cælestium leniebat.

ANNOTATA.

a Non opinor, veram nuptiarum sponsionem intercessisse, sed spem aliquam factam, quæ virgines deprecantium matronarum molestiis se liberarent. In sequentibus tamen semper urgetur promissio, & sponsa ac sponsa constanter appellantur. De familia, nihil observo; Jacobillum adeat, qui credere cupit, Anicias fuisse sanctas Virgines.

b Dicitum est in Commentario, displace cristi-

cib

A tis frequentes huiusmodi angelorum visiones, quales denuo recurrunt num. 8 & 9, que nibilominus eo solo titulo suspecta esse non debent, modo accedat sufficiens veteris & probati scriptoris autoritas.

C An colloquia illa satis recte concepta & disposita sint, aliorum censure relinquo.

D Neque hec consilia placent; minus etiam, quod sequitur, in Martyrum Actis satis insolitum, ut virgines procorum seu sponsorum potestati concedantur, quod ipsa morte dantis videri possit.

C A P U T II.

Sancta in exilio gesta; miracula; judicis in eam sententia; conversio Audacis & utriusque martyrium.

B *Exilio mala-
data, Chris-
tus se conso-
latur;*
b *Spiritu immundum
ejus.*
C

A Sponsi impii ministris fame attenuata, caelestis se verbi pabulo satiabat. Unus ei panis Christus **a**, cibus indeficiens esurienti, Christus fons vite, potus refrigerans sitienti; Christus ei patria, Christus parentes; virginis suæ Christus comes individuus adhærebat. Orationibus jugiter intenta, noctes vigiles transfigebat: quæ ei ad miseriam & pœnam putabantur inferri, suæ illa & omnium pro Christo patientium gloriæ deputabat. Interea divina providente clementia, **Anianum**, **Diodori** **b** ejusdem provinciae consularis filium, spiritus immundus arripuit & per ejus os immanens vocibus exclamabat: **Anatholia** incendis me tuis orationibus. **Diodorus** autem, homo paganissimus, thura cœpit offerre & victimas immolare dæmonibus, ac per diversa tempora filium destinabat, qui dum per dæmonum delubra mitteretur, pervenit ad locum, in quo **Anatholia** virgo Domini morabatur, die ac nocte laudibus divinis insistens. Ut autem Dei virginem dæmon, qui puerum vexabat, alpexit, procedens ante pedes ejus, cœpit vocibus solito valentioribus ac dirioribus inclamare: Tu es, ajebat, **Anatholia**, quæ me orationum tuarum flammis exuris.

12 Cui beata virgo ait: Impero tibi in nomine Domini mei Jesu Christi, immunde spiritus, exi ab homine isto: & statim puer à dæmonio liberatus est. Reversus igitur ad patrem incolumis, quo ordine salvatus fit, enarravit. Et lætantur parentes pro filii sponte, congratulantur cives omnes Diodoro consulari, virginis rumore provincia subito pervagatur. Venit Diodorus cum uxore & filiis omniisque domo sua, virginis pro salute filii gratias redditurus & munera afferens infinita. Sancta autem **Anatholia**, aperiens os suum, docebat eos de regno Dei & salute animarum suarum: pecunias autem, quas sibi ob salutem filii oblaturus attulerat, precepit pauperibus dilatribui Christianis, sibi dicens necessarium nihil esse, cui & in hoc mundo, quod satis esset, Christus Dominus largiretur & in futuro seculo regnum æternum vitamque perpetuam, quæ nullis miseriis, nullis ærumnis, nullis infestatur doloribus; cui semper lux, semper gaudium la-

titiaque suppeteret, quæ nunquam finienda est, numquam morti obnoxia, datus esset in cælis.

13 Tu, inquit, omissis dæmonibus, huic **Miraculis
in laref: 153** vero Deo & omnipotenti crede, & salvus eris. Exiit itaque tanti miraculi fama in provinciam universam, & sanctæ **Anatholiae** nomen passim & hominibus & dæmonibus divulgantibus: currebant ad eam variis languoribus laborantes, à medicis desperati, & qui habebant lunaticos, sive energumenos, de èrebant ad eam. Quos illa omnes in Christi nomine orationibus suis curabat, & exhortans eos Christo credere, dimittebat à languoribus liberatos. In tantum itaque sanctitatis ac miraculorum ejus rumor excrevit, ut ad Decium usque fama pertingeret. Quod ille audiens, & ut erat Christiani nominis avidus insectator, furore nimio arreptus, Festianum **d** quemdam nomine, virum impissimum, Thoram destinavit, ut **Anatholia** virginem sacrilegam, suppliciis cogeret ad immolandum, & si diis libamina offerre recusaret, gladio in eam animadvertisse edidit.

14 Veniens ergo Festianus ad urbem **Theſſitor Fe-
tiano, ab
coque inseto
rogatur.
*apparito-
ribus.** **Anatholia** sibi, missis officiis *****, impe-
rat præsentari; quam torvis intuitus luminibus, Tune es, inquit, **Anatholia**, quæ hominibus suades, deorum pietate ac religione contempta, hominem nescio quem, à suis contribulibus occisum, divinis cultibus honore? **Anatholia** respondit: Ego. Et Festianus dixit: Sacrifica diis, quos veros deos esse, manifesta divinitas comprobavit. **Anatholia** respondit: Ego non sacrifico manufactis idolis, quæ opera hominum cum sint, sensu penitus carent; & cum aures habeant, non audiunt; cum os habent, non loquuntur; cum nares habent, non odorant; cum pedes habent, non incedunt. Festianus dixit: Præcepta Augustorum, quorum famulatui omnis subjectus est orbis, noli superbiendo contempnere.

15 **Anatholia** respondit: Augustis tuis & **Martyris
omnibus**, qui eorum obtemperant iussioni, **responſa,** æternum incendum & pœna sine fine debetur, in qua in æternum pro suis sceleribus crucientur. Festianus dixit: Tormenta perpetua & ignem æternum diis augustis nobisque comminaris, voluntati eorum obsequentibus; sed nisi citius sacrificiis deos placet, & Augustorum iussa perficias, ipsa prior in corpore tuo pœnas, &, licet non in æternum, experieris incendum. **Anatholia** respondit: Effac e, quod vis; quoniam ego nunquam dæmoniis immolabo: nullis minis, nullis suppliciis à meo proposito dimovebor. Tunc Festianus jussit eam in eculeo suspen- di & torqueri, & dum torqueretur, etiam ardentes lampades lateribus ejus apposuerunt, & illudentes clamabant: Sacrifica diis secundum præcepta Principum, & perge libere, quo volueris.

16 Illa autem dicebat eis: Miseri & infelices! Ego quidem momento temporis fertio dolorem corporis, & in æternum cum Deo meo gaudebo. Vos autem, nisi ad Dominum meum convertamini, cum numeribus vestris incendio ardebitis sempiterno f. Videntis itaque tantam Virginis constantiam Festianus, fecit eam deponi de eculeo & vo-

cans ad se Marsum & quemdam, Audacem nomine, dixit ei: Tolle beneficam hanc, quae suis præstigiis homines fallit, & culeo eam clausam fac serpentium morsibus interire, & multam tibi pecuniam condonabo, meorumque amicorum te præcipuum faciam. Marcus Festiano respondit: Si unum solummodo ei serpentem immisero, protinus interibit: solent namque Marfi in hujusmodi beneficiis peritissimi & potentissimi esse. Clauditur virgo sanctissima cum serpente in culeo: innocens parricidarum punitur exemplo; sed judex omnium justus non deserit innocentem.

17 Noctem totam inclusa in [culeo] Virgo transegit, Dei laudibus & orationibus insistens, psalmis & consuetis vigiliis vacans, creatorisque sui famulam anguis, mansuetus effectus, derelicta pie natura, non tetigit. Mane autem facta, cum Mercurium, cui in caduceo vita & mortis potentia à Jove concessa dicebatur, & Palladem, quae Gorgonem frævissimam [præfert,] invocasset, culeum Marcus aperit, quem continuo serpens, à collo invadens, diris cœpit morsibus atrectare. At virgo Domini Anatholia manu extensa apprehendit eum, & ait: In nomine Domini Jesu Christi, pro cuius ego amore ista sustineo, exi hinc & vade in locum tuum. Quo serpens audito, fine mora continuo exiens à culeo, cum mansuetudine pia discessit. Tunc Marus exclamavit voce magna dicens: Vere Deus Christus est & præter hunc non est aliis.

*Cum serpen-
te in culeo
inclusa ab
eodem non
lædisse;*

B

18 Audiens hoc Festianus, obstupuit, & vocans ad se Audacem, dixit: Quid hoc? Nonne ex ore tuo, ô Audax, audivi, cum tibi illam idcirco tradidi, ut ad deorum converti numina renuentem, serpentum morsibus interficeres? Tu contra te quoque à deo cum pietate avertens, ejus effectus es confors insanæ. Audax dixit: Novi ego, quanta sit in hujusmodi serpentibus feritas, quanta vis in veneno, quanta in morsibus: & ideo nomen Christi confiteor, & ipsius maiestatem adoro; quoniam cum tanta sit in serpente vis mortis, in vi propria Christi famulam lædere nihil potuit, & qui solet tactu solo homines, vel quæquam momorderit animalia, in momento extinguere, famulam Christi, cum ea tota nocte inclusus, in culeo tangere non præsumpsit. Insuper me, qui eum solitus sum carnibus & medicaminibus, quotiescumque voluerim, mitigate, morsibus suis, nisi illa succurreret, extinxisset. Ad hæc Festianus: Numquid si illa valentioribus beneficiis iram serpentis [compescuit] & eisdem artibus ab illius te morsibus liberavit, in clamorem hac de causa prorumpere debuisti, & nomen scelestè inclamare? Audax dixit: Dii, quos dicis, verè, ut Virgo sancta afferit, dæmones sunt: quoniam cum ego eos, culeum aperiens, invocasset, nihil mihi dii auxilii, quibus ab infantia famulatus sum, præstiterunt, sed potius propter illorum invocationem serpens me arripuit indignatus, & ut jam dixi, nisi eum sancta Virgo cohibusset, omnem in me maleficæ artis cum vita scientiam finisset.

*quo mirac-
lo Audax
convertitur,*

C

19 Verus Deus, verus Deus Christus est, cujus Anatholia sancta servitiis mancipata & lædi ipsa à serpente non potuit, & eum, ut

alios læderet, non permisit. Festianus dixit: Insanis, ô Audax, & ideo ista prosequeris. Audax respondit: Verè ego hactenus insaniavi, dum simulacra muta & surda colui; cum eos, qui non sunt, tamquam aliis esse præstarent, adoravi, & in meum auxilium invocavi. Nunc autem vere sapio, cum verum Deum agnosco, & credo atque confiteor. Festianus dixit: Respice miser & nega hoc nomen hominis scelerati, quod Principes inseguuntur, & deos libaminibus placare festina, ut ignoscant tibi, quæ in eorum injuriam verba jactasti. Audax respondit: Fac, quod vis, quoniam idolis numquam sacrificabo. Festianus dixit: Vel filiis tuis & conjugi miserere, neque velis te ipsum ultronea mente damnare. Audax respondit: Jam mihi nulla de conjugie cura, nulla solicitude incumbit. Deum verum, cui feme adhæsi, non derelinquam.

*cum Ana-
tholia carce-
ri mancipa-
tur; & ipse
martyrio
cererat;*

20 Tunc Festianus, videns quod nullis misericordiis blanditiis avelli posset ab amore & confessione nominis Christi, præcepit eum carcerali custodia mancipari, & Anatholiam cum eo in eadem custodia fecit retineri. Cum itaque ambo in ergastulis tenebantur, die ac nocte non cessabat beatæ Virginis Audacem de regno Dei & patientia cohortari, & gaudentes, quod pro Christi nomine pati mererentur, in hymnis & laudibus Deo gratias vocibus continuis personabant. Quod audiens Festianus, capitalem in Audacem sententiam promulgavit, sive in suo sanguine baptizatus, perrexit ad Dominum. Multi autem ex Thorenibus, videntes signa & mirabilia, quæ per beatam virginem Dominus operabatur, reliqis idolis, crediderunt in Christum. Quod intelligens Festianus, metuens, ne per passionis ejus constantiam, & mirabilia, quæ in Christi nomine faciebat, major populi pars, relitto simulacrorum cultu, converterentur ad Christum, minis & blanditiis agens, ut thurifacaret dæmonis, cum ad id nullo pacto Virginis animum agere posse perspicceret, jussit, ut in loco, in quo stebat, gladio feriretur.

F

21 Veniens autem spiculator & stantem eam, ut orabat, manibus extensis inveniens, gladio eam dextro percussit in latere, ita ut finistrum quoque latus gladii mucrone tantum perfoderetur. Hoc ordine Anatholia, rata, secuta virgo Christi & martyr, æternas hujus secessit. Et à culi laboresque consummans, ad æternæ vi- Thoranis tæ gaudia, quæ nullo termino consummata, pervenit, ubi martyrialibus infulis adorata, Martyrum & Virginum sanctis agminibus sociata, perennique sponso conjuncta in cælis, quem toto desiderio quæsierat, ad quem summo studio anhelaverat in terris, cum eo congloriatur in secula seculorum. Cives autem Thorenenses, rapientes sanctæ Martyris corpus, posuerunt in loco, qui eis per revelationem fuerat ostensus, in quo loco multa beneficia servis suis per merita sanctissimæ Virginis potentibus se non definit [concedere] Jesus, ad laudem & gloriam nominis sui. Passa est autem beata virgo & martyr Domini Jesu Christi Anatholia septimo Idus Julias, Imperante Decio, præidente Festiano, & sepulta est apud Thoram à viris fidelibus, qui per eam crediderant.

*quem &
Anatholia,
minis &
blanditiis
frustra ter-
rata, secuta
culi laboresque consummans, ad æternæ vi-
Thoranis
tæ gaudia, quæ nullo termino consummata,
sepesta,*

22 Evolutis autem à passione ejus multo-

*Christum
confitesur,*

A
Corpus
translatio.
b

rum annorum curriculis, translatum est corpus ipsius simul & beati martyris Audacis ad locum, qui Sublacus nominatur, ab urbe Roma quadraginta millibus distans, & positum est in locum, ubi & nunc requiescit, in Specu videlicet illo, in quo ex mundi naufragio nudus evadens vir Domini Benedictus, excepto Romano monacho, inagnitus hominibus, tribus latuit annis. Quorum nos merita & orationes commendant Deo Patri & Filio & Spiritui sancto, ut qui pro nostris actibus non meremur, ipsorum intercessionibus ad vitam pervenire mereamur eternam. Amen.

ANNOTATA.

a Satis patet, hinc incipere fragmentum Surianum, à Sublacensi scriptore, ut diximus, amplificatum & verbo finis ornatum.

b Sic etiam vocatur in fragmento: Theodorus substitue, si is magis placet.

c Vide bac supra in fragmento verosimiliter narrata.

d Ita passim appellatur, ab aliis Faustianus dictus: utrovis modo scribes, nihil magnopere interest.

e Intelligitur, quid velit scriptor: que magis barbara erant, hinc inde levigata sunt.

f Hec & superiora non incongrue dicta sunt: an satis vere, frustra quiescierat.

g Sive Marlus, sive Marlinus, patronymicum est. Noti sunt Marli & Aequicoli in veteri Romana historia; ut mirum sit, duci in fine fragmenti, quod uxor & filii tulerint corpus & navigaverint. Certe navigandum non fuit, ut ex loco martyrii ad Marforium terminos perveneretur, nisi forte adverso flumine provelti sint. Hoc fortasse non male correxit Allorum scriptor, sed non satis recte alia substituit, ut in Commentario observatum est.

h Nam dixi, bac fragmento Allorum consona non esse, sed hic ita ab auctore disposita, ut viam quadammodo sternent ad historiam inventionis transque sacri corporis.

INVENTIO

C
Sacrorum corporum Audacis
& Anatholiae.

Corpora SS. Martyrum, diu sub terra defossa,
H umane inscientiae utile est, accommodare doctrinam & mirabiliter laudare Dei mirabilia, qui in rudibus temporibus prisca renovat opera, sese augmentando in suæ sponsæ finu, quam emit pretioso sanguine suo. Quare varia piorum certatorum & acta ostendit insignia. Mirabilis quippe est in Sanctis suis, atque omnia eorum diurnaliter custodit ossa, ut unum ex eis non conteratur. Dignum namque duximus adscribi, qualiter Anatholæ virginis sanctique martyris Audacis corpora, quæ diu latuerunt, sunt inventa. Cum sœva fuisset orta tempestas Decii, atrocissimi Regis temporibus, & predictos Martyres jussisset necari, ut in eorum legitur gestis, sancta corpora eorum sunt in campo dimissa, quo à fidelibus sunt humata. Per plures autem annos in eodem occulta pausavere loco, in idolatrico permanentibus errore ethnicis. Tandem vero, postquam restituta est pax & cru-

cis opprobrium penitus est cunctis annotatum, pretiosa prædictorum corpora Sanctorum, quæ in obscuris latebant scrobbis, omnium rerum arbiter voluisse declarare, perfecta ossa quiesci perfectiori loco; alma jam incumbente fide.

24 Eo quidem tempore primo monasterio beati patris Benedicti, quod dicitur Sublacus, Leo b præsidebat abbas, divina operante clementia, ut sancta invenisset corpora in Thorense valle, ex suis curavit mittere venatum c, qui cum jussam exercuerint venationem, in prætextam perveniunt vallem. Ad venerabilem igitur dum appropiarent locum, quo sancta quiescebat corpora, divino nutu canes illuc gressum tendere non audebant, & si aliquis illuc se appropinquabat ex canibus, mox in illum se intromittebat rabies, canino carente sensu. Quod cum saepius fuisset factum, stupentibus venatoribus, prædicto nuntiavit Abbat, enucleatim narrando hujus rei gesta. In promptu autem Abbas cum eisdem venatoribus ad venerabilem pervenit locum, præcipiens, ut sui secum deferrent fosoria. Venerabilis ergo locus Abbat ut est ostensus, Deum cœpit rogitat, quem nihil latet, quod sibi occultum dignaretur ostendere thesaurum. Pau latim namque interea cœperunt fodere ac laxatis brachiis fodiendo ad nimium deveniunt labore, alta crepidine defossa humo frustra laborantibus.

25 Tale autem opus Abbas cernens, ut omnino sine fructu esset, quasi demens se extimavit & pœnituit, quod in tanto leviter se moveret itinere. Protinus, inquit suis comitibus, stultè huc foras venimus; sed sapienter ad propria remeamus loca, sine aliqua comperiendi ratione. His dictis subito equum subiit & per suum repedavit iter, sequentibus sociis. Non longe autem eo gradiente, ingens eum cepit somnium tam graviter, ut nullo modo in equo nequirit confidere. Tunc fatus est suis: Sinite me aliquantum quiescere: quia valde me præoccupat somnus. At illi dixerunt, si vestræ, Domine, complacet magnitudini, utilis non est hic paupatio: quia, ut intueris, magnus hunc locum detinet lucus, hominum egens frequentia. Quibus respondit: Vestris non possum uti consiliis; sed vos estote excubantes; ego parva fruar pausatione. Statim ut in solo est collocatus, per somnum ei divinitus afferatum est oraculum: Convertere, inquit Kuriæ *, & opus, quod cœpisti, fatage adimplere. Nam appetitum tuum ille perficiet, qui univerò attulit salutem mundo. Revelante se, expergefactus surrexit Abbas, & quod solus audivit, ceteris patet fecit, remains ad cœptum opus.

26 Confractis igitur terræ viribus *, pre- * visceribus tiosum repererunt thesaurum, signatis tumulis. At ubi pretiosa intuiti sunt ossa, tonanti Regi vastas retulerunt gratias, qui est memor verbi sancti sui, quod capilli de capite non peribunt justi. Oppanis tumulis Sanctorum, abstulerunt pretiosa ossa & in cuiusdam animantis corio ea condiderunt, indomitumque captarunt equum, quem honestè de predictis onustarunt ossibus, qui solitam oblitus est indomitatem, pacifice & fine aliquo strepitu per totam cum sancto non venit.

tempore
Leonis Ab-
batis in
Sublaco,
b
c

E

F

EX MS.

pervenit onere viam. Verum ubi ad prædestinatum devenerunt locum, videlicet Specum, quo almus pater Benedictus feliciter, ut pleniū nosti, conversatus, deposito onere protinus expiravit equus, prævidente Deo. Non erat quippe conveniens, ut peccatricem amplius veleret carnem, qui sacrosancta semel vextatus est ossa.

^{ubi conditæ;} ^d 27 Honorificè vero sancti martyris Audacis reliquie d in proprio sacræ virginis Scholasticæ altari sunt intromissæ per manus summi Pontificis Benedicti septimi Papæ. Ossa vero Christi virginis Anatholiæ apud prætaxatum Specum sunt conditæ in suo proprio loco, per quæ multa largiuntur beneficia fidelibus, patrante Domino usque in hodiernum diem. Interea hoc passim diffamatum est miraculum & incolæ illius terræ, vide licet Thorenis, circumquaque degentes, quo ossa primitus fuerant humata, ad jam prædictum decernunt venire Abbatem, ut de sacris, quas abstulerat, reliquiis illis pro divina caritate vel parum concederet, quatenus ecclesiam in honorem virginis Anatholiæ, in loco, unde ablatae fuerant, consecrarent. Quibus respondit: Res, quam postulatis, vobis videtur parva, sed nostro magnam præstat auditui gravedinem: ceterum si nostram obauditionem, quæ durior nostris insonuit auribus, [vultis] mollescere, divinis utimini scriptis: nam, inquiunt, Date, & dabitur vobis. Noster delectat animus, ut hoc monasterium aliquantulum nanciscatur juris in vestris regionibus e. Quod si meos animos hac de re satiaveritis sensus, quamvis difficilis sit res, quam flagitatis, tamen appetitum vestræ concedemus petitioni sanctum, qui alias à nobis immunes ibitis.

28 Cui præfati inquiunt incolæ: Sine ce-

terorum incolarum consultu hoc statuere minime valemus. Et Abbas illis: Cohabitatores ergo consulite vestros: qui si nostræ al sensum dederint petitioni, vestram adimplimus voluntatem, & perpetualiter tam vos præsentes, quam futuros, qui ex vobis orientur, hic apud tonantem Regum obtinetis orationem. Conversi itaque viri, universæ nuntiant plebi quæcumque ab Abbatte didicerant. Tota autem plebs gratariter promisit, se esse auctoram, quidquid animosus expoſtulaverat Abbas. Missus vero legatus ad Abbatem, ire festinavit, secum unam ex sanctæ Anatholiæ spatulis curavit defiri. Tandem scriptis instrumentis, locum, ubi sancta quieverunt corpora cum omnibus suis pertinentiis, quæ præsentes erant, quæque venturæ forent, Sublacianensi monasterio donatione in perpetuum curarunt, illis restitutâ spatulâ, quam Abbas attulerat. Hæc omnia facta sunt consentiente Episcopo, Anastasio nomine, qui tunc Reatinam gubernabat ecclesiam.

<sup>qua conditio
ne Ibo
rensis
Anatholia
reliquie
concessæ.</sup>

A N N O T A T A.

a Intellige Martyrum, qui certarunt pro fide. Exordium hoc secundum narrationi satis apposite premissum est.

b De hujus Abbatis cum Benedicte VII PP., & Anastasio Episcopo Reatino combinatione, dictum est in Commentario previo.

c Item de hac venatione & id genus aliis.

d Jam patuit, secundum antiquis fragmentum, aliò deportatum fuisse S. Audacis corpus, quod proinde reperiri non potuit apud S. Anatholiam, nec consequenter in S. Scholastica altari deponi. Errorum in alterutro agnoscere oportet.

e De his etiam in commentario. Obauditio supra, est ingrata auditio seu ingratius sermo.

DE S. CYRILLO EPISC. ET MART.

FORTE GORTYNÆ IN CRETA.

C
J.P.

C O M M E N T A R I U S P R æ V I U S.

SUB DE-
CIO VEL
MAXIMI-
ANO.



Riusquam pro majori rerum à S. Cyrillo gestarum elucidatione nonnulla de more premittam, jubeo lectorum ante omnia meminisse eorum, qua jam pridem dicta sunt inter Prætermisso ad diem xiv Junii, quo cum illustri elogio memorari dicuntur in Ms. Synaxario CPolitano, aliisque adservatis Mediolani in bibliotheca Ambrosiana, Taurini in bibliotheca Ducis Sabaudiae, Parisiis in bibliotheca Mazariniana, Divatione in collegio Societatis. Quapropter parum absnit, quin eo die fuerit datum; visum tamen ipsum transferre in hunc diem, quia idem fere elogium habetur in Menæis excusis, ejusque memoria inscripta est Martyrologio Romano ad diem presentem, quo illum damus.

2 Memoriam vero sancti hujus Martyris apud Hagiologos longe celebratissimam esse, liquet tam ex tabulis sacræ Græcis, quam Latinis, frequentissimam de ejus agone mentionem facientibus hac die, sicut patet ex iis, qua sequuntur, duco exordio à

Menologio Basiliiano, Græcè edito ad calcem tomij I fluidi, cuius contextum ad diem ix ejusdem mensis ita reddo Latinè: Cyrus Hieromartyr, magno in fide Christi & divinis virtutibus facto incremento, Archiepiscopus ecclesiæ Cretenis constitutus est. Hic, cum gregi rectè præfuisset, populumque Domini doctrina & monitionibus auxisset, mota persecutio ne ab idololatris comprehensus vincitusque, Præfidi traditus est. In ignem injectus, cum illæsus ab eo egredieretur, vinculis, quibus ligatus erat, combustis, & lignis, quibus flamma nutriebatur, in cinerem redactis, à Præside dimissus est; qui mirabatur id, quod factum fuerat, atque edicta Imperatoris tamquam iniqua reprehendit. Atque hæc tunc quidem ita. Tandem verò Præses, ubi videbat multos amplecti fidem in Christum, iram Imperatoris veritus, Sanctum comprehendit, & vel invitus capite minuit, concilians ipsi vitam immortalem & æternam beatitudinem regni cælorum. His fere consonant Menæas

Memoria
ejus apud
Gracos